Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26354
Copyright: Admont, Benediktinerstift

II

9

lapso de alia nunc virgine quam de maria nasceretur. Sed tamen nequaquam potest dici quod christus esset alius nunc si de alia nunc virgine quam de maria nasceretur: vel si esset ex nullo de novo creata vel de celesti aut elementari materia. vel de limo terre accepisset humanam naturam. quod secundum Augustinum possibile fuit deo. quia nullomodo suppositum in christo quod est eternum semper esset idem nunc ad quod nunc talis unitas terminatur in christo. ¶ Propter predicta igitur inconvenientia et multa similia que sequerentur videtur posse. quod homine non lapso dei filius nullomodo esset incarnatus. Cap. iii. In quo ponuntur Instantie contra secundam causam.

Contra secundam vero causam sive rationem assignatam ex parte illa. Quod deus incarnatus esset et si homo lapsus non fuisset. videlicet propter divinorum operum consummationem et perfectionem. que in incarnatione facta esset ex eo quod per ipsam primum coniungeretur ultimo. id est deus homini et sic esset in universo circularis perfectio. et est per subsequentes rationes et consimiles earum. Instari potest in hunc modum. Primo quia ista circularis perfectio que attenditur in operibus universitatis ex ipsa incarnatione propter coniunctionem dei et hominis tamquam primi et ultimi. Aut est accipienda proprie. aut metaphorice. Quod autem non possit accipi et attendi proprie sic patet. Quia perfectio circularis non convenit proprie nisi ei cuius ratio circularitatis proprie habet in esse. Circularitatis autem ratio que includitur figuram non habet in esse proprie nisi soli magnitudini molis que sola est figurabilis. Deus autem omnino est infigurabilis. sicut dicit Damascenus libro primo. Capitulo xi. quia in eo non est accipere magnitudinem molis sed virtutis solum. ergo in coniunctione dei et hominis non potest proprie accipi et attendi circularis perfectio universitatis. Si non est accipienda non proprie sed metaphorice. ergo ista perfectio circularis resultans in universo ex coniunctione dei et hominis est secundum aliquam similitudinem et non secundum veritatem. quia ut dicit philosophus iii. Topicorum. Consistentes secundum aliquam similitudinem transsumunt. Talis autem similitudo non recte potest poni propter causam incarnationis. quod patet. quia causa in eo quod causa dignior et nobilior est effectu. Incarnatio autem que plena est gratie et veritate nobilior est et dignior quecumque sua similitudine. sicut omnis veritas nobilior et dignior est sua similitudine. Indignius autem et ignobilius non potest poni propter causam dignioris et nobilioris. ergo nulla similitudo incarnationis potest poni propter causam ipsius incarnationis. que plena est gratie et veritatis. ¶ Preterea videtur quod non solum in proprie sed et metaphorice similitudo circularis perfectionis universitatis ponatur propter causam incarnationis. Quia philosophus primo de anima et Commentator ibidem reprehendunt Platonem dicentem intellectum esse circulum et intelligentiam circulationem. et rationabiliter reprehenditur. quia aut hec accipitur et intenditur de intellectu et intelligentia proprie aut metaphorice. Si proprie falsum dicitur. quia intellectus non est proprie magnitudo. et sic non circulus. Si metaphorice. ergo contra morem et modum demonstrationis philosophice veritatem de intellectus natura non aperit sed involvit. Ergo similiter. Si istam circularem perfectionem universitatis proprie ponat aliquis propter causam incarnationis. non dicit verum. Si metaphorice. tunc veram causam incarnationis non aperit sed involvit et non elucidat sed obscurat. ¶ Item. Si in coniunctione dei et hominis est accipere deum et hominem ut extrema cuiusdam linee circularis. ergo ibi est ac

Cap. iii. In quo ponuntur instantie contra secundam causam.